



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm XXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

omnes obligationes, alienationes, locationes in longum tempus, seu ultra quadriennium, prohibemus; & aliter antea factas alienationes qualcunque irritamus.

DECRETVM XXXIV.

VTi etiam, quæ de Provisoribus templorum, immunitate Ecclesiastica, & archivio Episcopali, decreta fuerunt, denuò mandamus ac volumus; hoc tantum addentes, ut ad archivium nostrum Episcopale, præter redditus, etiam authenticæ copiæ foundationum omnium beneficiorum transmittantur.

DECRETVM XXXV.

QVoniam verò inter cætera, quæ ad mores & vitæ Ecclesiasticæ honestatem pertinent, non postremum est, quod certo habitu distincti, & à sæcularibus negotiis abstracti, sobrie, pie, ac iuste vivant Clerici; ob abusus hac in parte à Nobis observatos, serio inculcamus & monemus, ac sub censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis arbitrariis, præcipimus ac mandamus, ut omnes Clerici & Sacerdotes Diocesis Nostræ, in Ecclesia quidem, non alia, quam veste talari, utantur, foris autem ut minimum ultra genua aut ad furas defluentem tunicam, pallium verò oblongum ad talos gestent, idque præcipuè in Civitate, nisi peregrinatione excusentur.

Sæcularia verò negotia ita devitent, ut sine expressâ Nostrâ licentiâ nemo Tabellionis, Procuratoris, aut Advocati, nedum Medici officium, (nisi pro Ecclesia sua, aut miserabilibus personis, & quidem cum Nostra aut Vicarii Nostrî licentiâ,) exerceat. qui secus fecerit, loco moveatur.

Popinas frequentare, aut in privatis etiam ac perviis domibus, potui vini, cerevisiæ aut tabaci indulgere, tam est à statu Ecclesiasticorum alienum, quam ipsis, utique in sortem Dei vocatis, magis convenit, sobriè ac iuste vivere. Vnde, sicut sacri Canones huiusmodi helluones, & tabernas frequentantes, excepto casu necessitatis, gravissimis pœnis mulctant; ita sciant, quod, deprehensi, non evasuri sint.

Monemus insuper singulariter, ut, quantum fieri potest, convivia publica, præsertim nuptialia, baptismalia & similia declinent; aut, si aliquando in conviviis propinquorum ipsis comparandum sit, memores sint honestatis & conditionis suæ, ne vitæ dissolutioris indicia præbeant, aut potui, saltui, aliisque Clerum non decentibus, indulgeant; idque sub pœnis, arbitrio Nostrò imponendis.

Hortamur potius omnes in Domino, etiam eos qui ex fundatione non tam strictè fortè ad Chorum obligantur, ut, vocationis & Sta-

tus sui memores, tanquam mediatores inter Deum & homines constituti, stipendiis Ecclesiæ vivant, divinis officiis diligenter intersint, per se ipsos sua officia exerceant, & officium Angelicum psallendi in domo Domini, juxta primum Ecclesiæ fervorem & fundationes, indefinenter exerceant, conjunctisque animis & vocibus, tractim & devote, horas Canonicas exsolvant, ac pro suis & populi peccatis ac Ecclesiæ Osabrugenis incolumitate deprecantur. Si vero in Choro non fuerint, privatim suas Horas diligenter recitent quotidie, nec unquam omittant; scientes, se peccare mortaliter toties, quoties easdem omittunt, & ad restitutionem fructuum Ecclesiasticorum teneri.

DECRETVM XXXVI.

ECclesiarum Custodes officio etiam suo non desint; tempestive suis temporibus in Ecclesiis compareant; munditiam earum observent; quæ ad cultum divinum requisita sunt, quantum ad eos spectat, diligenter procurent; nunquam sub divinis, Sacrificio Misæ, aut aliâ Parocho suo, divina peragenti, sine superpelliceo aut habitu decenti assistant, Ecclesiisve suis inserviant.

DECRETVM XXXVII.

CVm maxime referat, ut pueritia, quæ feeges est omnium Rerumpublicarum, in timore Domini edoceatur; Ludimagistrorum in eo cura erit maxima, ut ipsi inprimis integrâ inculpatâque vitâ juventuti præluceant, eamque non in doctrina modo, sed etiam pietate & orationibus, sedulo & diligenter instruant, ad Catechismum suos adducant, & ut ea, quæ à Parochis in lectione catechetica proposita fuerunt, à singulis observentur & inbibantur, procurent.

DECRETVM XXXVIII.

Regulares omnes in Domino hortamur ac monemus, ut, secundum vocationem suam, regulæque SS. Patrum, digne ambulent, aliisque lucis exemplum præbeant; decreta item summorum Pontificum, præsertim Bullam Gregorii XV, quæ incipit, *Inscrutabili*, diligenter observent, benedictionem & approbationem concionatorum suorum & confessoriorum petant, & sine illa nullum exponant; & decretum Innocentii X, quoad approbationem in singulis Diocesisibus necessariam, observent.

DECRETVM XXXIX.

QVoniam verò hæc mala tempora multis calamitosis hominibus, etiam extraneis,

ac